



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi**

**Puente, Luis de la**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

Admodvm R. Patri In Christo, P. Nostro Mvtio Vitellesco Societatis Iesv  
Præposito Generali, &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43347**



ADMODVM  
R. PATRI IN  
CHRISTO, P. NOSTRO  
MVTIO VITELLESCO  
SOCIETATIS IESV  
*Præposito Genera-  
li, &c.*

**A**Liquot virorum Societatis nostræ res gestæ P. adm. R. in lucem prodierunt, tum seorsim, tum simul in nobisfima Societatis IESV història, à P. Nicolao Orlandino edita, in quibus præclara virtutum exempla, spiritualia documenta, & monita ob oculos nobis proposita sunt, quæ ad Instituti nostri perfectionem sectandam nos impellunt: sed nescio, an vlla sit tot virtutibus, exemplis, varijsque monitis, ac spiritualis vitæ documentis referta, atque hæc P. Balthassaris Aluarez: cui cum Societatis Institutum maximè cordi esset, omnia sua eò conferebat; vt, quod munere diuino acceperat, (erat autem omnino eximum magnique momenti) ad nostri ordinis hominum commoda, per quos proximorum

\* 2



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

E P I S T O L A

morum bonum & salus promoueretur, totum dirigeret. Nullus est in Societate gradus, siue Superioris, siue Operariorum spirituallium, & Coadiutorum temporalium, qui non inueniet in hac historia, magna ad suum quisque munus adiumenta: præcipue cum P. Ludouicus de Ponte, eiusdem aliquando filius, & in tertij anni Probatione discipulus, qui historiam conscripsit, multa addiderit, aliorum eiusdem in spiritu discipulorum, aut subditorum exempla virtutum; & digressiones, quæ ad eiusdem P. Balthassaris exempla & documenta illustranda plurimum conferunt. Eam historiam ex Hispanico in latinum sermonem cum Superiorum approbatione verti, ut pluribus esset usui. Nam huiusmodi exempla recentia, tum antiquorum Patrum perfectionis studium reddunt credibilius; tum magnam semper vim habent ad legentium animos permouendos; cum videant quasi praesentes viros Instituti nostri adeo studiosos: nam ut praesentis alicuius virtus, quem oculis ipsis cernimus, magnam vim habet ad viam perfectionis nobis faciliorem reddendam: ita etiam absentium gesta magnæ perfectionis plurimum iuuant, ut naturæ nostræ imbecillitas, ab eadem aggredienda non solum non terreatur; sed magnos spiritus & animos sumat ad eandem amplectendam, & in ea progressus magnos faciendos. Hic finis historiam

con-



DEDICATORIA.

conscriptis fuit, & meus. Faxit Deus, vt tan-  
tum Lectores fructum hauriant, vt & ipso-  
rum exempla præsentes quibuscum versa-  
buntur, permouere; & successores ædificare  
possint: plura, quæ in hunc finem adferri pos-  
sent, ipse R. P. Ludouicus de Ponte in sua ad  
Lectorem præfatione fusè differit: hic men-  
tem meam tantum V.P. insinuare volui, vt: &  
hoc nomine, quod P.V. interpretatio hæc di-  
cata sit, aliquid momenti historiæ, eiusque  
lectioni adferat. Deus P.V. Diutissimè Socie-  
tati nostræ, totique Ecclesiæ sanctæ incolu-  
mem seruet, sanctissimisque donis locuple-  
tet, ad felicissimam totius huius corporis  
(quod haud ita pridem singulari quodam, &  
quasi diuino omnium, qui electioni legitimè  
aderant consensu, atque omnium nostrum  
plausu & congratulatione regendum à Deo  
suscepit) gubernationem, profectum, ampli-  
ficationem, ornamentum. Cuius paterno a-  
mori & sanctissimis precibus humiliter ac  
reaerenter me commendo.

Adm. R. P. V. <sup>10</sup>

*minimus in Christo seruus*

*Melchior Treuinnius.*

\* 3

COPIA

